DEO JUVANTE,
SCHOLA MEDICA PARISIENSIS,

Hoc Anno M. DCC. LIII. Studia, per Ferias intermiſſa, more ſolito poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis, redintegravit die Jovis vigeſimo Septembris, Bibliothecam publicis uſibus deſtinatam aperiendo.

Sed cùm fauſtiſſima S. DELPHINÆ fœcunditas Domum Regiam altero Principe ditaverit, novumque Galliarum Imperio felicitatis ac ſecuritatis pignus obtulerit, atque Regali Solio fulcimentum; felicem Ortum S. DUCIS AQUITANIÆ, publicis lætitiæ argumentis, celebrare geſtit Saluberrima Facultas Pariſienſis.

Ordinavit itaque ut Induciæ Academicæ producerentur uſque ad Feſtum S. Lucæ orthodoxorum Medicorum Patroni, quo die in Scholarum ſuarum Sacello, poſt ſolemne Sacrum, Hymnus Exultationis *TE DEUM* cantabitur, atque die Lunæ ſequenti, qui menſis Octobris vigeſimus-ſecundus eſt, Profeſſores ordinarias Lectiones reſument. DATUM Pariſiis, die primo Octobris, anni 1753.

BARON, Decanus.